

actu, id propterea, quod in ordine ad beatitudinem nocuum  
 infert, prohibitum est. Et supra jam evictum est, quod non detur  
 actus aliquis indifferens, si spectetur in individuo; unde multo  
 minus contrarias bonitatis & malitiae rationes includere potest.  
 Nam quoniam illa convenientiam infert, haec dissonantiam cum  
 recta ratione, sequeretur ex ista assertionem, quod idem simul cum  
 recta ratione conveniens & disconveniens esse possit, quod est con-  
 tra primum principium: Idem non potest simul esse & non esse. Et  
 hoc certum est de actu *secundum eandem rationem* considerato;  
 quamvis non varietur sententia nostra, si consideretur *secundum*  
*rationes diversas*. Actio enim unius circumstantiae in actu morali  
 totum actum variare potest. Nec temporis successio largitur aliquid  
 contrariae sententiae patronis: eadem enim ratio, quae antea,  
 contra illos efficacissime militat. Quod attinet actum *in genere*  
*natura*, nec ille simul potest bonus & malus esse *moraliter*, h. e. eo-  
 dem tempore bonitatem & malitiam moralem recipere. Causa n.  
 ob quam est malus, obstat, quod minus possit simul ex alia ulla parte  
 esse bonus & conducibilis homini in ordine ad beatitudinem:  
*successive* autem, seu diversis temporibus simul esse bonus & malus  
 potest, h. e. idem actus, quoad genus naturae spectatus; diversis tem-  
 poribus recipere potest bonitatem & malitiam moralem. Ubi ta-  
 men loquor *de actu eodem non identitate numerica, sed potius specifica*.  
 XXII. Caeterum hic occupatus sum necesse est, in coarguen-  
 dis & refutandis *Stoicis*, hoc opinionis foventibus, *ac si actiones*  
*bonae & male omnes sint aequales, nec unquam dari quid possit, unde ine-*  
*qualitas earum aestimetur*. Peccare nihil esse aliud, quam transilire  
 lineas; quod cum ab aliquo factum sit, eo ipso culpam commis-  
 sam esse. Neque ad augendam transeundi culpam facere quic-  
 quam, quam longe ab aliquo in delictum sit facta progressio, si se-  
 mel transgressio facta sit. Quicquid peccatur, perturbatione or-  
 dinis atque transgressionis peccari: semel autem perturbata ra-  
 tione & ordine, nihil posse addi, quod magis peccari posse videa-  
 tur, uti ex *tertio Cic. paradoxo* colligere est; *ὅτι ἰσὺ τῶ ἀναγρήμα-*  
*τι. Jovianum* quoque *hereticum* à Stoicorum partibus stetit, te-  
 stem omni exceptione majorem habeo *D. Augustinum de Hæresib.*  
*c. 82.* ita scribentem: *Hic omnia peccata more Stoicorum paria es-*  
*se dixit.* Sed falsa Joviani, imò omnium Stoicorum hypothesis  
 est, cum contrarium tum *ex sanioribus saniorum Philosophorum*  
*scriptis, tum ex ipsa scriptura sacra*, exaggerante non raro actio-  
 nes